

dit : *dilata ad primam omnino*. Iterum, instante D. Barone, et proposito dubio : « an sit standum, vel recedendum a decisio in casu, etc. » sub die 8 Maii 1751, non fuit talis causa dicta die proposita. Noviter adhuc repropósito eodem dubio : « an sit standum vel recedendum a decisio in casu, etc. » Eadem sac. congreg. sub die 22 Maii 1751, respondit : *dilata ad primam*. Repropósito tandem eodem dubio : « an sit standum, vel recedendum a decisio in casu, etc. » Eadem sac. congreg. sub die 19 Jun. 1751 respondit : *in decisio, et amplius*. Et super hac causa egomet fui consultus. El circa id, quod D. additor ib., sub n. 152, subjungit de matrimoniis contractis, non servata forma concilii inter hæreticos, vel inter hæreticos et Catholicos in locis hæreticorum, in quibus fuit promulgatum concil. Trid. de quibus agit auctor n. 112 et 113 tum alibi; vide quod decrevit Benedict. XIV, die 4 Novembr. 1741 super dubiis respicientibus matrimonia in Hollandia et Belgio contracta et contrahenda; jamque a me de his et similibus traditum est in *Supplem.*, verb. *Matrimonium*, quidquid sancivit dictus Summus Pontifex, tum in cit. const., 4 Novembr. 1741, quæ incipit *Matrimonia*, tum in aliis consimilibus. Vide *ibi*, ubi abunde de omnibus.

## ARTICULUS VII.

Quoad ea quæ concernunt facultatem dispensandi in impedimentis matrimonii.

## SUMMARIUM.

1. Papa dispensare potest super quovis impedimento impediendo, et super impedimentis de jure ecclesiastico dirimentibus. — 2. Papa ex præsumpta Dei voluntate, urgente aliqua gravi necessitate, dispensare potest super impedimentis de jure divino dirimentibus, quando originem trahunt a voluntate humana, et ad Deum referuntur. — 3. Hinc papa dispensare potest, gravi urgente necessitate, ut presbyter, seu religiosus, vel religiosa contrahat matrimonium. — 4. Afferuntur graviora exempla similibus dispensationum. — 5. Papa dispensare potest in matrimonio rato nondum consummato. — 6. Nequit autem Papa dispensare in matrimonio fidelium jam consummato. — 7. Afferuntur, et solvitur instantia. — 8. Papa, proprie et rigore loquendo, nequit dispensare in illis impedimentis, quæ sunt juris divini naturalis independentis quoad originem ab humana voluntate. — 9. Potest tamen papa jus divinum interpretari et declarare, quod in aliquo casu valde particulari propter aliquas gravissimas circumstantias, non obliget. — 10. Legati a latere, et nuntii apostolici possunt dispensare in sua provincia super omnibus illis impedimentis, super quibus possunt dispensare episcopi in sua diocesi. — 11. Insuper solent legatis et nuntiis concedi a summo pontifice aliqua alia specialia facultates, et quantum ad præsens dispensandi super impedimentis matrimonii enumerantur. — 12. Omnes tamen debent attendere præcisum tenorem specialium sibi concessarum. — 13. Consimiles dispensandi facultates solent obtinere episcopi Germaniæ, Indiarum, alique in aliis remotioribus partibus. — 14. Episcopi independentes a similibus specialibus facultatibus possunt pro utroque foro ex aliqua justa causa dispensare in duobus impedimentis jure

ecclesiastico solummodo impedimentibus, scilicet *sacramento tempore, et vetito*. — 15. Episcopi possunt etiam ex justa causa dispensare super impedimento impedimento voti cujuscunque, Papæ non reservati. — 16. Episcopi, ordinarie et regulariter loquendo, nequeunt de jure communi dispensare in ullo impedimento dirimente. — 17. Extraordinarie tamen, seu in casu magnæ et urgentis necessitatis possunt episcopi dispensare pro foro conscientie in impedimentis de jure ecclesiastico dirimentibus. — 18. Imo, etiam ante contractum matrimonium possunt episcopi dispensare in impedimentis de jure ecclesiastico dirimentibus ex urgent. etc. \* Subnectuntur ad rem addit. Cas. — 19. Vicarius generalis episcopi, vi officii sui, sine speciali mandato nequit dispensare super impedimentis matrimonii occultis in foro interno, super quibus potest episcopus jure ordinario. — 20. Multo minus potest vicarius generalis, vi officii sui, sine speciali mandato dispensare pro foro externo super illis impedimentis super quibus episcopus dispensare potest ex speciali facultate a Papa concessa. — 21. Episcopus potest vicario generali, et aliis sacerdotibus idoneis communicare dispensandi facultatem, quam habet ex privilegio, seu speciali facultate pro utroque foro. — 22. Et communicare etiam eam facultatem, quam habet jure ordinario pro foro interno. — 23. Non sufficit tamen generalis dispensatio, sed requiritur speciale mandatum, seu specialis delegatio, seu concessio. — 24. Capitulum, sede vacante, ejusque vicarius capitularis valide et licite potest dispensare pro foro conscientie super eisdem impedimentis occultis, super quibus potest episcopus jure ordinario. — 25. Non potest tamen dispensare super iis impedimentis, super quibus dispensat episcopus ex speciali facultate, seu privilegio. — 26. Commissarius hujusmodi potest dispensare pro foro conscientie in contracto ante matrimonium impedimento affinitatis orto ex copula fornicaria in primo, vel secundo gradu, tam lineæ transversalis, quam rectæ, dummodo concurrant aliqua conditiones, quæ assignantur. — 27. Commissarius cruciatæ potest legitimare prolem susceptam ex matrimonio hujusmodi post notitiam utriusque conjugis de impedimento quoad ordines et beneficia tantum. — 28. Non potest tamen commissarius cruciatæ legitimare prolem, quæ ex impedimento est illegitima; quando uterque conjux est in mala fide, nisi dispenset etiam in matrimonio, et matrimonium cum effectu contrahatur. — 29. Commissarius cruciatæ dispensare potest super impedimento orto ex affinitate superveniente ad petendum debitum. — 30. Omnes confessarii regulares Mendicantes, vi privilegiorum, possunt dispensare super quovis impedimento voti non reservati. — 31. Non habent dicti confessarii regulares privilegium dispensandi super omnibus impedimentis, tam dirimentibus quam impedientibus, super quibus jure ordinario dispensare possunt episcopi. — 32. Juxta varios magni nominis doctores possunt confessarii regulares post matrimonium, sive bona, sive mala fide jam contractum, dispensare in foro interno super occulto impedimento affinitatis, etiam in primo gradu, et prolem inde susceptam legitimam declarare. — 33. Ast vero contraria sententia tenenda est cum communi aliorum. — 34. An, et quando, et cum quibus possint regulares, et alii dispensare ad petendum debitum, *remissive*. — 35. An dispensatio sine justa causa sit valida et licita, *remissive*. — 36. Regulares, in iis in quibus habent privilegium dispensandi, non possunt hoc facere extra sacramentum penitentiae. — 37. Alii tamen tenent oppositum; alia ad rem ad n. 42. — Subnectuntur *Addit. ex aliena manu* ad n. 45. — Item *Addit. Casin.*

(1. Papa potest dispensare super quovis impedimento impediendo, et super impedimentis de jure ecclesiastico dirimentibus. *Communis*, arg. cap. *Proposuit* 4, De concessione præbendæ, ubi Pontifex de sua potestate loquens sic expresse dicit : « Qui secundum plenitudinem potestatis de jure possumus supra jus dispensare. » (2. Papa ex præsumpta Dei voluntate, urgente aliqua gravi necessitate, dispensare potest super impedimentis de jure divino dirimentibus, quando originem trahunt a voluntate humana, et ad Deum referuntur, ut in impedimento voti solemnitis, et hujusmodi. Hostiensis in c. *Non est* 5, *De voto*, num. 1, et ibi Abbas, num. 5; D. Thomas, in 4, dist. 38, qu. 1, art. 4, quæstiuncula prima in corpore, et ibi Richardus, art. 9, qu. 1, in corpore, et ad primum; Henriquez, lib. viii, *De Eucharistia*, cap. 13, n. 2, *In comment.*, litt. R; Rosignolus, contract. 13, *De matrim.*, 3, prænot. 10, n. 1; Sanchez, lib. viii, disp. 6, n. 2, ubi testatur de communib. (3. Hinc Papa dispensare potest, gravi urgente necessitate, ut presbyter, et religiosus, seu religiosa, contrahat matrimonium. S. Thomas in 4, dist. 38, qu. 1, art. 3, ad 4, ubi sic præcise dicit : « Si communis utilitas totius Ecclesiæ, aut unius regni, vel provincie exposceret, posset convenienter, et in voto continentie, et in voto religionis dispensari, quantumcunque esset solemnizatum : non enim per votum posset se homo deobligare ab eo, in quo tenetur alteri. Unde talis posset imminere necessitas, ut posset alicui juste prohiberi ne continentiam aut religionem voveret, et eadem necessitate manente, potest etiam in voto dispensari jam facto ». S. Antonin., in ii par., tit. 11, cap. 2, § 9, et in iii par., tit. 1, cap. 15, § 3; Medina, *De sacror. homin. continentia*, cap. 21, cum plurib. seq.; Tolet. in *Summa*, lib. iv, cap. 19, n. 6, et pluribus aliis citatis; Fagnanus lib. iii *Decretal.*, in cap. *Cum ad monasterium* 6, De statu monachor., num. 65 et 66, ubi dicit hanc esse sententiam communem theologorum, ac fere omnium canonistarum, quam etiam tacite approbarunt varii Summi Pontifices, qui dispensarunt cum episcopis, cardinalibus religiosis, et monialibus, ut videre est apud Corrad., in *Praxi dispensat.*, lib. viii, cap. 10, nu. 28, et apud ipsum Fagnan., *loc. cit.*, et alios.

(4. Cælestinus enim III dispensavit cum Constantia filia Rogerii Siciliæ regis, quæ, cum esset monialis professa Panormi, nupsit Henrico VI et ex tali conjugio jam quinquagenaria genuit Federicum secundum, ut referunt Cajetanus in 2-2, quæst. 88, art. 11, in princip.; Fagn., *loc. cit.*, n. 69; et alii. Alexander III dispensavit ad nubendum cum Nicolao Justiniano sacerdote monacho in monasterio S. Nicolai ordinis S. Benedicti ad instantiam Venetorum ducis, ut referunt Bartholomæus a S. Fausto *De thesaur. religios.*, lib. ii, qu. 36, num. 5, et Pineda, in *Monarchia ecclesiastica*, par. 4, lib. xxv, cap. 7, § 1, pag. 84. Fagnan., *loc.*

*cit.*, n. 66. Gregorius XIII dispensavit cum fratre cardinalis Jojosæ Gallo sacerdote professo, et provinciali ordinis Capuccinorum, ut referunt Bartholomæus a S. Fausto, *loc. cit.*, qu. 46, a num. 8; Fagnan., *loc. cit.*, num. 66, et alii. Alexander VIII, 14 Jan. 1690, cum Francisco Leopoldo comite Slabata canonico Passaviensi subdiacono, ut refert Reiffenst., lib. iv *Decret.*, tit. 6, n. 16; ubi testatur fuisse alias sic dispensatum cum Cæsare Borgia, qui prius erat cardinalis diaconus; cum Ramiro Aragonum rege, qui prius erat episcopus, et cum pluribus aliis; et Justus Redu tom. II *Operis canonico-politici*, tit. 8, fol. 208, refert quod Juditha fuit monialis Ratisponensis, et dein trium regum conjux, scilicet Breislai Bohemiæ, Mecislai Poloniæ, et Petri Hungariæ. Et multa alia exempla similibus dispensationum refert Ursaya tom. IV, par. ii, disc. 5, per tot.

## ADDITIONES CASINENSES.

Minus accurate auctor tradit sub num. 4, h. art. Cajetanum, etc., secutus, Cælestinum III dispensasse cum Constantia moniali professa, ut nubere posset Henrico Federici I filio, postea imperatori. Siquidem multa sunt quæ hujus facti falsitatem, nempe quod monialis esset, evincunt.

« Ac primum, cum constet eandem Constantiam post obitum (\* Rogerii Patris \*) natam posthumam (\* scilicet anno 1154 \*) plane eluditur fabula illa, quam idem Fazellus narrat de eadem ipsa Constantia, quod percussus pater rex valencio Joachim abbas, quo asserebat, si nupsisset, funestam futuram Siciliæ facem, fecerit eam re-trudi in monasterium, atque religionem profiteri monasticam; nam si vivo patre rege, ipsa non nata : quomodo potuit per eum monacha effici, atque professa? sic igitur vides, lector, pudendum detectum errorem de falsa origine Constantiæ monachatus : » verba sunt Baronii, ad ann. 1186, n. xxx.

Deinde incongruum sane est Cælestinum III dispensasse cum antedicta Constantia ad matrim. contrahendum, quippe, Godefrido Viterb. teste, in *Chron.* inter ipsam, et præfat. Henricum nuptiæ secutæ sunt Mediolani 27 Januarii 1186. De hujusmodi nuptiis hoc eodem anno secutus Sicardus in *Chron.*, Otto de S. Blasio, in *Chron.*, et Galvanus Flamma, in *Manip. florum* testantur : quibus et Gofridus monach. S. Pant., in *Annalibus* astipulatur, licet matrimonium, de quo sermo est, in octava Epiphan. apud Ticinum, præfato anno 1186 contigisse affirmet. Porro cit. anno (1186) Urbanus III Petri cathedram tenebat, non autem Cælestinus III, qui non nisi anno 1191 Pontifex fuit electus, quando nimirum matrimonium ejusmodi ab hinc quinque annis amplius, uti vides, jam fuerat effectum. Præterea nullus ex scriptoribus coævus, nempe cit. Godefridi Viterb., Hugonis Falcandi, Arnoldi Lubecensis, Romualdi Salernit. archiep., Guillelmi Neubrigensis, Rogerii de Hoveden, at abbas Uspergensis, ultra alios supradictos,

ipsam monialem professam ante nuptias existisse dicit, quorum certe historicorum silentium in re de qua agitur utique venit attendendum.

Ludovicus Art. Muratorius, *Annali d'Italia*, sub anno, ut supra, 1186, Baronii sententiam libentissime amplexus, monachatum Constantiæ intra tabellas amandavit.

(5. Papa dispensare potest in matrimonio rato nondum consummato. *Communis*, teste Rota Romana, dec. 101, n. 7, par. II, divers., et in *una Burgensi, dissolut. matrim.*, 27 Jun. 1594, relat. inter impressas post secund. volum. *Consil. Farinac.*, quæ est 86, n. 1, in fin., ubi sic præcise habet: « Et domini quoad potestatem dissolvendi matrimonii rati non consummati, dixerunt non esse dubitandum, quia hæc est communis opinio canonistarum, præsertim de consensu conjugum, et ex justa causa, » cap. *Ex publico*, et ibi *Glossa*, verb. *Consummatum*, *De convers. conjug.* Et de facto in matrimonio rato dispensarunt Gregorius VII, Martinus V, Eugenius IV, et S. Pius V, ut referunt Arsdekin tom. II, pag. 129; Delbene, part. II *De inquisit.*, dub. 336, sect. 66, n. 20; Gregorius XIII et Urbanus VIII, ut refert Justus Redn tom. I *Operis canonico-politici*, tit. 3, sect. 2, n. 26 et 27, fol. 46, et teste Sanch., lib. II, disp. 4; dictus Gregorius XIII uno die quatuordecim matrimonia rata dispensando dissolvit quoad vinculum. Et plurima exempla similia dispensationum refert Uraya, tom. II, par. I, disc. 3, per tot., et tom. III, par. II, disc. 21, per tot., adducens n. 133 votum sacr. congr. Conc. sub die 20 Maii 1719 etiam dissentiente uno ex conjugibus.

(6. Nequit autem papa dispensare in matrimonio fidelium jam consummato. *Communis* inter Catholicos contra hæreticos, volentes etiam matrimonium consummatum quoad vinculum solvi posse propter unius adulterium, aut discessum a vera religione. Et ratio est, quia, cum matrimonium fidelium elevatum sit a Christo in sacramentum, et significet unionem indissolubilem ipsius Christi cum Ecclesia per carnem assumptam, expresse ipsemet Christus præcepit *Matth. XIX*, quod a nulla humana potestate possit dissolvi, ibi: *Quod Deus conjunxit, homo non separet*. Nec valet dicere, quod matrimonium ratum et consummatum non differant nisi accidentaliter. Unde si Papa dispensare potest in rato, possit etiam in consummato. (7. Non valet, inquam, quia dato etiam, et non concesso, quod differant solummodo accidentaliter, physice loquendo, differunt tamen substantialiter moraliter ob supervenientiam illius significationis, quæ fundatur in unitate carnis, quæ ante consummationem non aderat; duo enim conjuges fiunt una caro per copulam conjugalem, *arg. cap. Debitum 5*, De bigamis, ubi dicitur quod matrimonium ratum significat solummodo unionem Christi cum anima per gratiam, quæ, quia sæpe in anima solvitur, etiam matrimonium ratum solvi potest. At matrimonium consummatum, cum ex dicto *cap. Debitum*, significet indissolubilem

unionem Christi cum Ecclesia, etiam ipsum est indissolubile per quameunque humanam potestatem; aliter aptum non esset ad illam indissolubilem unionem Christi cum Ecclesia repræsentandam.

(8. Papa, proprie et rigore loquendo, nequit dispensare in illis impedimentis, quæ sunt juris divini naturalis independentis quoad originem ab humana voluntate. Est fere communis. Et ratio est, quia jus naturale divinum est supra quameunque potestatem creatam, etiam Pontificiam; adeoque Pontifex non potest, absolute, proprie et rigore loquendo, super eodem dispensare, quia directe dispensatio tenderet in jus divinum naturale, ad quod non extenditur ejus facultas. Sic enim se habet papa ad legem Dei, sicuti inferior ad legem superioris. Imo minor est proportio Papæ ad legem divinam, quam inferioris prælati ad legem humanam; cap. *Damnamus 2*, De summa Trinitate, vers. *Quia inter Creatorem et creaturam*; sed in lege humana inferior nequit dispensare in lege superioris; cap. *Inferior 4*, dist. 21; cap. *Cum inferior 16*, De majorit. et obedient., Clementina, *Ne Romani 2*, De election., § 1, ubi expresse habetur, « quod lex superioris per inferiorem tolli non potest; » ergo nec Papa dispensare potest in illis impedimentis, quæ sunt juris divini naturalis independentis quoad originem ab humana voluntate, cum hoc videatur contrarium sacris canonibus; c. *Sunt quidam 6*; c. *Contra statuta 7*; c. *Omne 8*, caus. 23, quæst. 1; cap. *Super eo 4*, De usuris, cap. *Litteras 13*, De restitut. spoliat., cap. *Cum ad monasterium 6*, De statu monachor.

(9. Potest tamen Papa jus divinum interpretari, et declarare quod in aliquo casu valde particulari, propter aliquas gravissimas circumstantias non obliget, cum scilicet ex divinæ legis observantia, aut aliquod majus bonum impeditur, aut aliquod grave damnum inde sequitur, cujus exempla sunt in cap. *Licet 23*, De testibus, in cap. *Quanto 18*, De jurejurando; *Glossa* in cap. *Non est 5*, De voto. Interpretatio enim authentica fieri potest ab habente eandem auctoritatem; cap. final. *De constitutionibus*, videlicet a legislatore ipso, vel ejus successore, qualis est Pontifex, non tamen successor Petri, quam vicarius Christi cum plenitudine potestatis. Et ratio est, quia si Pontifex in aliquo simili gravi et urgente casu non posset legem divinam interpretari, et declarare, cum pro interpretatione ad Deum recursus non pateat, non fuisset ipse bonus paterfamilias (quod nullimode est dicendum), si gregem suum dimisisset sine pastore, qui in casibus dubiis et arduis, posset jus divinum interpretari, et declarare, et sic omnibus suis ovis pro necessitate consulere. Abbas in capit. *Proposuit 12*, De concession. præbend.; Almain., *De potest. eccles.*, c. 13; Turrecremat., in *Summa de Eccles.*, lib. II, cap. 7, et lib. III, cap. 53, et in cap. *Conjunctiones 2*, caus. 53, quæst. 3, n. 3; Covarruv., 4 *Decret.*, II part. cap.

6, § 9, n. 4; Sylvester, verb. *Papa*, quæst. 16 et 17; Navarr., lib. IV *Consil.*, in 2 edition., tit. *De sponsalibus*, consil. 39, n. 16, et tit. *De desponsat. impub.*, consil. 4, n. 16; Sotus, *De justit. et jure*, lib. X, quæst. 3, art. 1; Vasquez, in *Opuscul. moral.*, in tractat. *De benefic.*, c. 4, § 2, dub. 1, n. 122; Suarez, *De Eucharistia*, quæst. 74, art. 2, disp. 43, sect. 4, vers. *Tertia sententia*; Cardinalis in cap. *Cum ad monasterium 6*, De statu monachor., § ultim., n. 7; Catharinus, lib. VI, in *Cajetanum* in questione illa: « An pontifex possit dispensare in voto solemnium religiosorum? » S. Thomas in 2-2, quæst. 54, art. 6, et in *Quodlibet 4*, art. 3, in corp., et ad primum; Durandus in 4, dist. 23, quæst. 1, num. 15; Rosignolus, tract. 15, *De matrimon.*, III, prænot. 10, n. 15; Reiffenstuel, lib. I *Decretal.*, tit. 2, n. 457; Fagnanus, lib. I *Decretal.*, in cap. *Cum pridem 4*, De pactis, n. 80, et alii passim.

(10. Legati a latere et nuntii Apostolici possunt dispensare in sua provincia super omnibus illis impedimentis, super quibus possunt dispensare episcopi in sua diocesi, ipsi enim reputantur ordinarii iudices suæ provinciæ, textu expresso in c. *Legatos 2*, De officio legati, in 6. (11. Insuper solent legatis et nuntiis concedi a Summo Pontifice aliquæ aliæ speciales facultates, et quantum ad præsens dispensandi super impedimentis matrimonii; primo, dispensandi in tertio, et quarto, tam *consanguinitatis* quam *affinitatis* gradu simpliciter, et mixto tantum cum pauperibus in contrahendis matrimoniis; secundo, in contractis vero cum hæreticis conversis etiam in secundo simplici et mixto, dummodo nullo modo attingat primum gradum, et in his casibus prolem super impedimento *publica honestatis* ex sponsalibus proveniente; tertio, dispensandi super impedimento *criminis*, neutro tamen conjugum machinante, et restituendi jus petendi debitum amissum; quarto, dispensandi in impedimento *cognationis spiritualis* præter levantem, et levatum in baptismo; quinto, nuntii Hispaniæ, ex privilegiis S. Pii V sub die quarta Aug. 1571, et Greg. XIII sub die 25 Junii 1576, possunt dispensare cum Judæis in omnibus gradibus jure divino non prohibitis, vel conjunctis, vel attinentibus, et aliquando etiam dispensant in impedimentis dirimentibus post matrimonium contractum, si occulta fuerint, et alii alias ampliores solent a Summo Pontifice pro exigentia temporum, locorum, et personarum obtinere facultates dispensandi, unde quisque stare debet suis obtentis concessionibus, et privilegiis. (12. Omnes tamen ad hoc, ut vi talium privilegiorum seu facultatum possint valide dispensare in impedimentis matrimonii, debent omnino observare clausulam, quam Papa similibus dispensandi privilegiis adjicere solet his verbis: « Hæc vero matrimoniales dispensationes non concedantur, nisi cum clausula: dummodo mulier rapta non fuerit, vel si rapta fuerit, in potestate ra-

ptoris non existat, in dispensationibus hujusmodi declaretur expresse illas concedi tanquam a sedis apostolicæ delegato. Ad quem effectum etiam tenor ejusdem facultatis inseratur cum expressione temporis, ad quod fuerint concessæ, alias nullæ sint. »

(13. Consimiles dispensandi facultates solent obtinere episcopi Germaniæ, Indiarum, alique in aliis remotioribus partibus, quas sibi concessas debet quisque attendere, nec excedere, semper servato adamussim sibi factæ concessionis tenore, et plene observata supradicta clausula. (14. Episcopi, independentes a similibus specialibus concessionibus, possunt pro utroque foro justa ex causa dispensare in duobus impedimentis jure ecclesiastico solummodo impedimentibus, scilicet *sacramento tempore*, et *vetito*, nisi Papa aliquod matrimonium specialiter vetet. Communis et certa. (15. Episcopi possunt etiam ex justa causa dispensare super impediendo impedimento voti cujuscunque Papæ non reservati, v. g. *castitatis* ad tempus, vel in perpetuum, si est conditionale, vel pœnale, item voti non nubendi, vel ordines suscipiendi. Communis et certa; argum. Extrav. *Etsi Domini, De panis et remission.*, ubi inter vota reservata Summo Pontifici non comprehenduntur supradicta; votum enim castitatis perpetuæ ibi reservatum intelligitur de voto perfecto, et absoluto, et quidem præcise quoad substantiam, non idem quoad qualitates, vel circumstantias eorum; quia, cum talis reservatio sit præjudiciosa juri ordinario episcoporum, tanquam odiosa est stricte interpretanda juxta communissimam doctorum sententiam; argum. cap. *Odia 15*, De reg. juris, in 6, ibi: « *Odia restringi, et favores convenit ampliari.* »

(16. Episcopi, ordinarie et regulariter loquendo, nequeunt de jure communi dispensare in nullo impedimento dirimente. *Communis*. Et ratio est clara, quia omnia impedimenta jure ecclesiastico dirimentia sunt introducta decreto Summi Pontificis, aut alterius concilii generalis; episcopi autem, uti inferiores Papæ, et generali concilio, nequeunt in eorum lege dispensare; argum. cap. *Inferior 4*, dist. 21, cap. *Cum inferior 16*, De majorit. et obedient., et Clementina *Ne Romani 2*, De election., expresse dicitur: « Lex superioris per inferiorem tolli non potest. » (17. Extraordinarie tamen, seu in casu magnæ et urgentis necessitatis possunt episcopi dispensare pro foro conscientie in impedimentis de jure ecclesiastico dirimentibus, si concurrant sequentes conditiones. 1° Si impedimentum sit occultum. 2° Si matrimonium sit publicum. 3° Si sit contractum bona fide, sive cum ignorantia impedimenti. 4° Si adest gravis causa, seu necessitas, v. g. impediendi scandalum, quod certo oriretur in separatione. Si necessitas sit urgens, ita ut non patiatur dilationem, quia conjuges nequeunt abstinere ab usu putati matrimonii, donec dispensatio a Pontifice vel nuntio veniat. Sic tenent communiter doctores cum Reiffen-

stuel, lib. iv *Decretal.*, in *Appendice de dispensatione super impedimentis*, n. 15; Barbosa, *De offic. et potest. episcop.*, allegat. 35; Sanch., lib. ii, *De matrimonio*, disput. 40, per tot.; La Croix, lib. vi, par. iii, n. 835, argum. cap. *Quoniam 13*, caus. 1, quæst. 7; cap. *Sicut 11*, De consecrat., dist. 1; cap. *Omnes 1*, De feriis; capit. *Consilium 2*, De observ. jejunior.; cap. *Consulisti 3*, De celebrat. missar., et cap. *Quod non est 1*, De regulis juris, ibi: «Quod non est licitum in lege, necessitas facit licitum.» In qualibet enim dispositione intelligitur excepta necessitas; cap. *Licet 6*, De pœnit. et remissionib.; Fagnanus, lib. i *Decret.*, in c. *Nihil 44*, De election.

(18. Imo etiam ante contractum matrimonium possunt episcopi dispensare in impedimentis de jure ecclesiastico dirimentibus (46), quando adest urgentissima necessitas salutis animæ, et non est aditus ad Papam, vel ratione moræ in expectatione dispensationis Pontificiæ est periculum incontinentiæ, aut alterius gravis mali spiritualis; argum. *Omnibus cit. juribus*, quia, ut expresse dicitur in cit. cap. *Sicut 11*, De consecrat., dist. 1, «Necessitas non habet legem,» et in c. *Consilium 2*, De observat. jejunior., ibi: «Cum non subiaceat legi necessitas,» et tenent Rei Tenst., *loc. cit.*, n. 15; Barbosa, *loc. cit.*; Bosco... Gutierrez... Cardenas... Vasquez, Salas, Præposit., Castropalao, Hurtad., Reginald., Pont., Bonacina, Villalob., Bassæus, Silvius, Victorellus, Molfesius, Diana, Leander, Homobon., Cornejo, Machado, Candidus, et alii, quos citat et sequitur La Croix, *loc. cit.*, num. 838. Et ita declarasse Sixtum V testatur Pyrrus Corradus in *Praxi dispensat.*, lib. viii, cap. 4, n. 40. Et ratio est, quia non est præsumendum, nec ullo modo credendum, quod Papa in tali casu necessitatis velit privative quoad ordinarios sibi reservare cum dispendio boni communis animarum potestatem a Christo Domino in bonum commune ipsarum animarum concessam. Hoc enim non esset consonum fini ejusdem reservationis, qui est ad evitanda scandala, pericula, et peccata; non autem ut eisdem irretiantur, et esset contra suavem et providam gubernationem Ecclesiæ, quæ potestatem suam gerere debet, non in destructionem, sed in ædificationem animarum, juxta illud Apostoli *II ad Corinth.* x, ibi: *Nam etsi amplius aliquid gloriatus fuero de potestate nostra, quam dedit nobis Dominus in ædificationem, et non destructionem vestram, etc.*

Addenda et notanda ex *Benedicto XIV.*

(In hoc edit. Casin.)

«... De impedimento dirimente occulto

(46) Intellige de impedim. occultis. (*Edit. Cas.*)

(17) Hæc porro apud Riganium: «Ad Sedem Apostolicam privative quod episcopus jus pertinere dispensandi super gradibus matrimonium dirimentibus, vix in dubium revocari potest. Cum enim ab Ecclesia universali, sive illius capite Romano Pontifice sint impedimenta præfata instituta dispensatio

(ita Bened. XIV) quod obstat matrimonio nondum contracto, sed proxime contrahendo, scimus... non deesse doctores qui episcopo facultatem asserant illud auferendi, cum tales urgent rerum circumstantiæ, ut nec Summus Pontifex consuli, nec matrimonii contractus, ad quem omnia sunt disposita, differri possit sine scandalo, et paratorum ad nuptias infamia: ad præcavenda enim prædicta gravia mala, si alius non suppetat modus illis occurrendi, præsumendum est, Summum Pontificem delegare episcopo potestatem dispensandi, quam certe, requisitus, non esset ei denegaturus. Hanc facultatem, nullius præcedentis doctoris patrocinio fretum, se omnium primum episcopis vindicasse, gloriatur Sanchez... sed eum postea secuti sunt Pontius... Hurtadus... Perez... Bonacina... Barbosa... Cabassutius... Wiestner Anaæletus. Sed quamvis hæc opinio, teste citato Bonacina, hodie sit fere communis, eam tamen acriter reprehendit, et exagitat Fagnanus in cit. cap. *Nimis*, num. 33 et 35, *De filiis presbyter.*, fortasse quia, ut adnotavit Perez, cit. sect. 6, n. 13, est moraliter impossibile eas omnes concurrere rerum circumstantias, quas sibi fingit Sanchez, in quibus nequeat matrimonium retardari absque scandalo, cum alii plurimi semper præsto sint modi, ab eodem Perez indicati, protrahendi tempus nuptiis, absque ulla suspitione criminis, et infamia eorum qui jam erant ad eas celebrandi accincti.

«Sed, quidquid sit de ea extraordinaria potestate, quæ ex præsumpta Summi Pontificis voluntate in aliquo eventu, urgentissimæ videlicet necessitatis, et impedimenti occulto, competat episcopis, nullum in præsens de ea ferimus judicium: sed tantum disserimus de ordinaria potestate dispensandi in quibusdam impedimentis dirimentibus publicis. Hanc potestatem, communi fere calculo doctores denegant episcopo: quinimo sacræ Urbis congregationes, Concilii videlicet, ac supræmæ Inquisitionis non semel proseripserunt, tanquam falsam et temerariam propositionem asserentem episcopo jus dispensandi super impedimento dirimente publico, quod obstat matrimonio contrahendo, etiamsi gravis urgeat illud contrahendi necessitas: uti videre est apud Joannem Baptistam Riganium, virum apprime doctum tom. IV *Commentarior. in regul. cancellar.*, in notis ad regul. 49, n. 1 et 2 (47) ubi sacrarum congregationum responsa, summa diligentia congesta, per extensum, ut dicitur, referuntur, et doctorum in hanc rem placita copiose allegantur. Et nihilominus aliquot episcopi eandem potestatem etiam nunc sibi et ipsis ascribunt, et

super eis ad caput ipsum universalis Ecclesiæ, non ad episcopos spectat... Hinc cum alias episcopus Syracusanus, litteris datis ad clar. mem. cardinalem Corradum san. mem. Alexandri VII prodatarium narrasset, in diocesisibus suæ conterminis nonnullos episcopos eam sequi sententiam, quod possent in casu urgentissimæ necessitatis ante contractum ma-

contra juris communis principia, ac communem doctorum sensum, etiam in suis synodalibus constitutionibus sibi asserere quandoque non dubitant; et quod magis dolendum est, non desunt aliqui, licet pauci, DD., hac in re episcopis blandientes; quorum nonnulli innituntur (*prætense*) axiomate... (*\*quidquid potest Pontifex in universo orbe, si ea excipias quæ totius Ecclesiæ statum respiciunt, uti fidei artic. definire, potest episcopus in sua diocesi, nisi specialiter Papa sibi illud reservavit\** [48]); alii vero innituntur diuturna consuetudine, per quam acquisitam decantant quibusdam episcopis potestatem relaxandi aliqua impedimenta dirimentia, qua, spectato jure communi,

trimonium super impedimento publico dirimente dispensare, ductos, ut aiebat, auctoritate, et rationibus per P. Vincent. Tancredi allegatis, in *Quest. moral.*, tom. I, q. 78, consiliumque peteret an eadem sibi liceret uti facultate, re per laudatum cardinalem exposita Pontifici, discussum fuit ejus mandato in S. congreg. Concil. dubium: «An episcopus in casu urgentissimæ necessitatis, possit ante contractum matrimonium in impedimento publico dispensare.» Et die 15 Martii 1660 prodiit responsum, *negative*. Successive vero cum ab eminentissimis ejusdem s. congregationis Concilii PP. injunctum fuisset DD. qualificatoribus sanctissimæ Inquisitionis, ut propositionem quoad prætentam a nonnullis episcopis facultatem dispensandi certis in casibus super gradibus matrimonii dirimentibus, qualificarent, prodiit qualificatio his verbis concepta: «Propositio asserens episcopum posse dispensare in publico impedimento matrimonii pro matrimonio dirimente consanguinitatis contrahendo sive in articulo mortis, sive in alia urgentissima necessitate, in qua contrahentes non possint expectare dispensationem sedis apostolicæ, est *falsa, temeraria, scandalosa, pernicioosa, et seditiosa.*» Deindeque eadem s. congreg. Concil. die 19 Januarii 1661 censuit. «Mox exscriptam propositionem esse falsam, et temerariam.»

«Nulla igitur, et irrita sunt matrimonia inter consanguineos vel affines, contracta cum dispensatione ab episcopis impertita, nec Sedes Apostolica matrimonia præfata revalidat, permittendo quod in iis contrahentes remanere possint, sed mandat de novo contrahi, servata forma concilii Tridentini. Solumque, ubi multitudo fuit in causa, quia nempe bona fide fuerunt nulliter matrimonia contracta inter consanguineos et affines præviis dispensationibus episcoporum, aut missionariorum dispensandi facultate carentium, viti illa in radice revalidata sine novo consensu ad evitandam stragem tot matrimoniorum, et ne conscientia inquietentur; ut in casu *Avenionen.*, de anno 1695. Et modernis hisce temporibus Sedes Apostolica nec expresse dicta matrimonia revalidat, sed rescribere jubet: «Non esse inquietandos existentes in bona fide.» *Comment. in regul. 49 Cancellariæ*, n. 2 et 4.

(48) Hujus propositionis falsitas pro extollenda episcoporum jurisdictione, sicque eis tribuenda facultate dispensandi in matrim. de quo hic, ratione et auctoritate clare evincitur. — Ratione quidem: etenim... etiam seclusa superioris prohibitione, nequit inferior legem, ab eodem superiore latam, aut abrogare, aut relaxare: superior quippe, statim ac aliquid per suam legem prescribit aut prohibet, illud subtrahit ab ordinaria potestate inferioris; cui propterea non licet in illam falcem immittere, nisi veli suam voluntatem anteponeere voluntati superioris, per legem manifestatæ: quod profecto esset suæ subjectionis jugum excutere, et in præi majoris potestatis

carerent. Hinc Gibertus suarum *Consultationum* tom. XII, consul. 59, *De matrim.*, absolute docet episcopos in hoc negotio unice spectare debere suorum prædecessorum praxim, libereque posse, legitima exigente causa, eas dispensationes indulgere, quas a suis prædecessoribus concessas deprehenderint. Hinc pariter Natalis Alexander *Theolog. dogmat. et moral.*, cit. lib. ii, *De matrim.*, c. 4, art. 13, postquam reg. 11 auctoritatem dispensandi super impedimentis matrimonium dirimentibus, publicis et notoriis, uni vindicavit Romano Pontifici, inquit: «Hodierna Ecclesiæ disciplina, «secundum quam dispensationes in gradibus «prohibitis consanguinitatis vel affinitatis,

«tis est, judiciis suis addiscere, aut propriis definitionibus subjugare:» quam intolerabilem insolentiam reprehendit Nicolaus I in epistola ad Michaelæm imperatorem, relata in Can. *Inferior.*, dist. 21. Præterea, si integrum esset episcopo legem relaxare a concilio generali aut a Summo Pontifice rogatam, tota everteretur Ecclesiæ disciplina, caput subiceretur membris, et proinde actum jam esset de ecclesiastica hierarchia divinitus instituta: quod bene ponderavit... Fagnanus in cap. *Nimis*, num. 44, De filiis presbyterorum, inquit: «Unde etiam apparet, longe minus admittendum esse, jure ordinario episcopum dispensare contra legem concilii generalis, vel Summi Pontificis, quoties dispensandi facultas illi non adimitur: hæc enim doctrina, nisi temperetur, secundum ea quæ dicta sunt, falsa et periculosa est, et nullatenus ad praxim deducenda: nam inferiorem posse contra legem superioris absolute dispensare, nihil est aliud quam caput membris et superiora inferioribus subjicere, et ordinem naturalem invertere, et ecclesiasticam hierarchiam confundere, Dei ordinatione institutam: præsertim vero quia mos sacrorum canonum, et conciliorum est fere ubique simpliciter præcipere, aut prohibere, quid faciendum sit, vel non faciendum: raro autem descendunt ad prohibitionem dispensationis. Unde, si liceret episcopis dispensare, quotiescunque dispensatio in specie non prohibetur, consequenter esset in eorum facultate, totum jus commune, et concilia universalis subvertere, in singulis casibus dispensando, quod est erroneum asserere.»

«Ad auctoritatem quod attinet... clariore, nullique cavillationi obnoxii sunt textus, qui ad contrarium axioma confodiendum, producantur. Primus est in Clem. *Ne Romani, De elect.*, in qua Clemens V ait: «Nos, inter cætera, præcipue attendentes, quod «lex superioris per inferiorem tolli non potest:» idque ita intelligendum declarat, ut nequeat ab inferiori: «corrigi, vel immutari, aut quidquam ei detrahi, sive addi, vel dispensari quomodolibet circa ipsam, seu aliquam ejus partem.» Alter textus est in cap. *Sancta Romana, De religiosis domibus, inter Extravag. Joannis XXII*, ubi legitur: «Quidam autem eorum dictum habitum, et vivendi ritum a quibusdam episcopis, seu eorum superioribus, vel Ecclesiarum prælatis habuisse profitentur, quos nec eis concedere licuit contra formam concilii generalis.» Ad quem locum opportune notat *Glossa*, lit. N: «Non licet igitur episcopis contra inhibitionem generalis concilii facere, cum sint stricti ad observantiam canonum;» idemque late ostendunt Innocentius in cit. cap. *Dilectus*, De tempor. ordinat., n. 2 et 3, in cap. 2, *De eo, qui furtive ordinem suscepit*; Panorm... Covarr... Gutierrez... Vasquez... Sanchez... Pontius... Cabassutius... Diana... alique innumeri, ab his allegati. Bened. XIV, *De syn. diac.*, lib. ix, c. 1, num. 5 et seqq.